

00
A
341



P. e. 99



33
Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO XI.

Quae est prior

DE COENA DOMINI,

PRO

AUGUSTANÆ CONFSSIONIS
ARTICULO DECIMO,

Quae

In Collegio Disputationum Theologi-
carum privato

*Ad diem 4. Martij A.C. 1609. VVitte-
bergæ habebitur*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO,

SS. Theol. D. & Profefs. P.

Respondente

HENRICO DECIMATORE, Magdabur. S.

VVITEBERGÆ

Typis Iohannis Gormanii.

Anno 1609.





VIRIS
REVERENDISSIMIS,

NOBILISSIMIS, MA-
gnificentissimis, Amplissimis,

Dn. LUDOVICO à LOCHOW, Decano.

Dn. WICHARDO à BREDOW, Seniori.

Dn. ERNESTO à MELTZING.

Dn. TITO à MÖLLENDORFF.

Dn. JOHANNI ab ARNIM.

Dn. CHRISTOPHORO ab HÛNICKEN.

Dn. WOLFFGANGO SPITZNASSEN.

Dn. HENRICO ab ASSEBURG.

Dn. CHRISTOPHORO à GHÖREN.

Dn. LUDOVICO à LOCHOW.

Dn. CUNONI à LOCHOW.

Dn. EBERHARDO OTTONI à MÄNNICHHAU-
SEN.

Ecclesiae Metropolitanæ Magdeburgensis Canonicis
laudatissimis:

*Dominis suis clementibus, Patronis ac promotori-
bus magnis, maximeq; venerandis.*

Exercitium hoc Theologicum,

In Studiorum suorum testimonium,

Et gratæ mentis indicium,

Humilimè consecrat

Respondens



συν δεσ.

DE COENA DOMINI Thesis I.

Post Baptismi Ecclesiastici considerationem convertit sese Augustana Confessio ad Cœna Dominica meditationem, brevissimam- que sed verissimam, & verbo DEI quam maximè congruam de ea sententiam proponit. Quam hisce Thesisibus enucleare conabimur.

De causa efficiente Cœnae Domini, quae est Christus omnipotens, omnisapiens & omniverax.

II. *Causa efficiens Cœnae Dominicae est Christus Jesus, Dominus & Servator noster ipse, Matth. 26, 16. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. sicut quoque, & vel cum primis 24, 25, 26.*

III. *Is inquam, cui ante passionem suam omnia tradita fuerant à Patre, Matth. 11, 27. Ioh. 3, 35. & 13, 3. qui post passionem iterum proficitur, datam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra, Matth. 28, 18. qui est splendor gloriae, & figura substantiae Patris, portans omnia verbo virtutis suae, Heb. 1, 3.*

IV. *Is iterum inquam, qui est constitutus ad dextram Patris in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, subiecta habens pedibus suis omnia. Eph. 1, 20, 21, 22. unde in Apostolos & alios effundebat plus quam miraculosa & multiplicia dona Spiritus sancti: perfectissimam rerum cœlestium omnium sapientiam, Dei & voluntatis divinae summam scientiam, Act. 2, 2. I. Cor. 12, 7. & 1. Ioh. 2, 27. fortitudinem ineffabilem ad sustinenda martyria Rom. 8, 26, 38, 39.*

1 2

15, in



V. *Is, inquam solus cum Patre & S. sancto verus Deus utpote qui EST ita ante Abrahamum, Ioh. 8, 58. ut nusquam ante Abrahamum cæperit: ideoque ei assimiletur Melchisedech, nec initium dierum, nec vitæ finem habens, Hebr. 7, 3.*

VI. *Ille, imago Dei invisibilis, & primogenitus (Dominus) omnis Creaturæ, in quo condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, Coloss. 1, 15. &c.*

VII. *Quod enim Smalzius in libro de divinitate, edito anno 1608 in forma quartæ cap. 16. fol. 98. scribit: Creare omnia invisibilia in cœlis esse Angelorum [pristinæ dignitates mutare, ut] aliæ nunc sint ab illis, quas antea, quàm Christus in cœlum ascenderet, habuerunt: id commentum ipsius non verò doctrina scripturæ sacræ est.*

VIII. *Et annón ineprum sit, quod Socinus adversus Erasmus Iohannis folio 171. scribit: (sicut novi Reges novam formam officiorum constituunt; ita quoque Christum Angelorum munia &c. mutasse in ascensione suâ,) ipsis illis extra verbum talia, eruantibus, judicandum committimus penitus.*

IX. *Is iterum inquam, qui sicut omnia creavit, ita omnes ex morte resuscitabit Ioh. 5, 25. 28.*

X. *Talis igitur est Cœnæ Dominicæ auctor & ordinator, qui omnia, quæ vult, potest facere in cœlo & in terra, seu, quò habet omnem potestatem in cœlo & in terra: ubi omnis potestas certè est omnipotentia, hoc est, absoluta, perfectissima, infinita, indeterminata, non limitata, divina, adeoq; Dei ipsius ipsissima omnis, omnis, omnis, sine exceptione potestas: quam nos mente humana nequaquam assequi, vel ex minima parte, nedum linguarum nostrarum infirmis vasculis eloqui possumus; credere autem firmiter & constanter, ut etiam admirari & obstupescere debemus.*

XI. *Quam potens autem est Cœnæ hujusce auctor, tam quoque est verax & sapiens, utpote plenus veritatis Joh. 1, 14. immò ipsa veritas. Ioh. 14, 6. unde in ejus ore nunquam inventus fuit dolus, & Pet. 2, 22. ut eidem credere debeamus, sive terrena dixerit, sive cœlestia.*

cœlestia *Iob. 3, 12. hoc est*, quæcunque docuerit, mandaverit, explicaverit, summa, mediocria, infima, consentanea aut dissentanea nostræ rationi visa.

XII. Quippe, Sapientia quoque Dei est, *1. Cor. 1, 24.* & in eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ, quam sapientiam DEI mundus suâ sapientiâ nunquam potuit cognoscere, *sicut Legatus Christi & Gentium Doctor Paulus, 1. Cor. 1.* illam radicem & scaturiginem omnium contradictionum, contentionum & errorum in mundo gravissimè taxat, *nimirum humani ingenii confidentiam & superbiam*, alio pulcherrimo exemplo ex articulo de redemptione generis humani, per crucem Christi, quæ crux Christi, *ut & verbum Crucis*, revera omnibus piis est virtus & potentia Dei: pereuntibus autem stultitia.

XIII. *Dum igitur prolixius ibidem ostendit*, ingens esse discrimen inter humanam sapientiam & sapientiam Dei, & monet, Deum adversari humanæ sapientiæ, quæ sese contra verbum ipsius effert, sicut etiam sapientia carnis fit inimicitia adversus Deum *Rom. 8, 7.* *Utique hoc vult*, perdendam esse sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobendam: siquidem Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi: *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

XIV. Audiamus igitur de hoc & de aliis mysteriis illum solum, qui factus est nobis sapientia à Deo, ut etiam justitia & sanctificatio, & redemptio.

XV, Deus enim in omnibus articulis vult agnosci, sicut se patefecit, & alligat nos ad verbum, ad fidem, ad cultum, & ad obedientiam: & hujusmodi exercitiis piorum unice delectatur quando ab ipso toti pendemus, & ipsi simpliciter & humiliter uni confidimus; nec pro nostro plusquam stultissimo, & prorsus in rebus divinis, omnem cogitationem & linguam hominum per infinitas myriades transcendentibus, cæcutiente arbitrato media somniamus. Sed de majestate & potentia causæ efficientis Cœnæ infra videbis plura in refutatione antitheseon.

A 3

II. DE

2. De materia sive substantia Cœna Domini, quæ nimirum
constat ex pane & corpore, vino & sanguine Christi.

XVI. MATERIA, ut vulgato more cum scholis liceat nobis in sa-
no sensu loqui, vel, ut aliàs loquantur Theologi, Substantia Cœnae Do-
minicæ constat ex rebus duabus, toto cœlo diversissimis: altera
nimirum terrena; altera verò cœlesti.

XVII. Cœna Dominicæ Res terrena, seu elementaris, est Panis
& vinum, idque simul, non alterutrum seorsim.

XVIII. Panis nomine venit ille sic dictus usitatus & no-
tissimus cibus & quidem hoc in loco panis azymus: quia Chri-
stus cœnam instituit primo die azymorum Judaicorum. *Matth.*
26, 17. seqq. Marc. 14. vers. 12. & seqq. Luc. 22, 7. & seqq.

XIX. Act. 20, post dies azymorum Lucas & Paulus navi-
gant à Philippis, & in quinque diebus veniunt Troadem, ac
Troade manent septem dies, tuncque intra septem illos dies Tro-
ade, conveniunt, ad frangendum panem, hoc est, ut *Syriaca versio*
habet, ad frangendam Eucharistiam, ubi, sine dubio omni fue-
runt usi panibus fermentatis.

XX. Quapropter Apostoli promiscuum panem usurparunt: azy-
mum in ipso institutæ Cœnæ actu; alium aliis temporibus.

XXI. Vinum hoc in loco propriè accipitur pro fructu vitis, nimirum
pro illo sic dicto, & in cõmunibus cõviviis usurpari cõsuetu potu.

XXII. Non usurpavit Christus in hoc ritu vel aromata,
vel locustas, vel mel silvestre, vel carnes de agno Paschali, non
ficeram, neque aquam, quam petebat, à fœminâ Samaritanâ
Ioh. 4. & quam prohibebat Paulus Timotheo, ne ventriculum
magis infrigidaret. *1. Tim. 5, 23.*

XXIII. Usurpavit autem talia duo, quæ ubique locorum in
universa terra, mediocri sumtû, & arte parari & procurari
possunt ab iis, qui honorem mandato Christi habere, seriò sibi
præsument; nec minus sumptuum mysteriis defungendis, quàm
terrenis necessitariis colligendis, impendere detrectant.

XXIV. Cœna Dominicæ Res cœlestis vel spiritualis, vel quocunque no-
mine alio velis eam cognominare, est corpus Christi, & deinde sanguis
Christi, effusus pro multis in remissionē peccatorū. *Matth. 26, 26,*
27, 28. Marc. 14. 23, 23, 24. Luc. 22, 19. 20, 1. Cor. 11, 23. & seqq.

XXV Non

XXV. Non beneficia Christi tantum, nec sola beneficiorum Christi commemoratio, (sicut in ludis olympicis & aliis spectaculis apud Ethnicos memoria Herculis vel aliorum mortuorum hominum, quibus tamen nihil jam negotii esse poterat cum viventibus celebrabatur,) sed omnino ipsum Christi corpus, seu caro & deinde ipse Christi sanguis, pro multis effusus in remissionem peccatorum in Cœna nobis indigitatur præsens.

XXVI. *Fundamentum probationis, quod in Cœna Domini, cum pane verum corpus Christi, & cum vino verus sanguis Christi præsens sit, exhibetur, distribuatur, & ab omnibus singulisq; comedatur & bibatur, sive dignos sive indignos illi sese præbuerint, constituimus cum omnibus omnium temporum orthodoxis Ecclesiis, sapientiam & veritatem Christi, hoc est, verba institutionis ipsius Cœnæ Dominicæ à Christo prolata.*

XXVII. Immota quippe est, & à nemine sano homine oppugnari, à nemine verò unquã ex omnis generis hostibus expugnari potest, regula & rationi ipsi, & Theologiæ, ac verbo Dei omni, maxime congrua & conveniens, quòd *cujusq; Sacramenti descriptio ex genuina cujusque & nativa seu propria sede, qua sunt verba institutionis ejusdem, sit depromenda,* utpote quæ continent expressè sapientiam & veritatem Christi.

XXVIII. Habemus regulæ hujus invictæ confirmationem in simili exemplo & doctrina beatissimi & verè Seraphici gentium Doctoris, & Legati Christi, Pauli nimirum.

XXIX. Is videlicet ipse, quando Cœnam Domini in profanas commestationes & comotationes converterant Ecclesiæ Corinthiæ, recurrit ad ipsam primam sedem, seu ad institutionem Cœnæ à Christo factam, prout eam ipse à Domino seorsim & peculiariter acceperat. *1. Cor, 11, 18. usque ad finem.*

XXX. Cum ergo beatissimus Legatus Christi in hisce suis ad Corinthios scriptis literis posterioribus, exemplo suo docuerit, in cōtroversis de Cœna excitatis redeundū ad primā institutionē; Utiq; omnes verè Christianos in iisdem controversiis, ad eandē hodie quoq; tanquam ad unicam & certissimam Cynosuram, cū pia simplicitate sine rationis nostræ anxia & Deo odiosa scrutatione respicere, plus, plus quàm pientissimum & convenientissimum fuerit.

XXXI. Filius

XXXI. Filius igitur Dei, Dominus noster Jesus Christus ipse testatur in tribus Evangelistis, & apud Paulum 1. Cor. 11. quod cum pane & vino corpus & sanguinem suum distribuere voluerit, & velit. Accipite (inquit) & comedite, Hoc (scilicet, quod post benedictionem & fractionem habeo in manibus meis, quod porrigo vobis, quod jubeo vos accipere & comedere, quod vos accipietis & comedetis) est corpus meum. Id est, Accipitis & comeditis hac ratione cum pane corpus meum, adeoque panem & simul corpus meum.

XXXII. Quod autem verba Christi de Cœna ^{et partem} sint omnino accipienda, roborationem & confirmationem perspicuam & solidam præbet nobis etiam beatissimus Legatus Christi, Paulus, in Epistolio priori ad Corinthios cap. 10. ubi de pane benedicto dicit, quod sit ^{caro} corporis Christi, &c.

XXXIII. Observandum autem est, quod scopus loci Paulini in toto cap. 8. 9. 10. sit ille, quod dehortatur Christianos peritiores & firmiores, ne post calicem Domini, & panem Domini participatum de idolothytis comedere sustineant.

XXXIV. Etsi, inquit, participatio idolothytorum firmis videtur esse res adiaphora, qui idolum pro nullo Deo habent, tamen ex sua natura & in sese, ut & ab infirmo consideratur, omnia immolata idolis, immolantur dæmoniis.

XXXV. Itaque comedentes de Idolothytis, quæ sunt apparatus ex consilio & jussu, adeoque in honorem dæmoniorum, partem aliquam idololatriæ exercent, & quia hoc ipso modo obedientiam aliquam præstant omnino dæmoniis, & juxta clarissima verba Pauli sunt ^{κοινωνοὶ τῶν δαίμωνιων} participes dæmoniorum, hoc est, quod nemo negabit, appropinquationem, præsentiam, favoremque, adeoque societatem & communionem quandam dæmonum nolentes volentes sibi colligunt contrahuntque sicut alioqui magicos, Diabolorum participes fieri novimus. Lege etiam Lev. 17. 7.

XXXVI. Hoc ipsum declarat etiam, ex similitudine sacrificiorum veteris Testamenti, ubi tertia pars dabatur sacrificantibus, quam in loco sacro coctam comedere solebant.

XXXVII. Omnes igitur, inquit, comedentes de victimis, participes fiunt altaris & per consequens ^{κοινωνοὶ θεῶν} pro antecedenti-

dentium ratione, hoc est, renovatam appropinquationem, singularem præsentiam, specificum favorem & novam benevolentiam Dei adeoque societatem & communionem cum DEO arctam quandam colligunt & contrahunt.

XXXVIII. Ex his, quæ ex contextus visceribus prolata sunt, æstimari satis poterit, quis etiam sit genuinus sensus verborum illorum: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne (*communicatio*) *κοινωνία* sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, nonne (*communicatio*) *κοινωνία* corporis Christi est. Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus: Nam omnes de uno pane (ita de uno calice) participamus.

XXXIX. Quemadmodum Deo sacrificantes Dei singularem appropinquationem, præsentiam, favorem, societatem, communionem, quemadmodum sacrificantes demoniis aut vescentes idolothytis appropinquationem, præsentiam quandam dæmonum sortiuntur colligunt & contrahunt: ita bibentes & vescentes de mensa Domini itidem singularem præsentiam communionemque sanguinis & corporis Christi acquirunt & sortiuntur.

XL. Atque sic demum solidissime constabit Pauli argumentatio 1. quod tam contrariæ sint illæ duæ uniones Christi & Sathanæ cum homine uno & eodem, ut ab uno & eodem subiecto salva conscientia simul expeti nequeant, propter ipsos dominos toto cælo ita contrarios, quibus utrinque æquè salva conscientia uno & eodem tempore tam arctè unus & idem copulari non possit. Evanesceret autem omnis illa ratiocinatio, si *κοινωνία* accipiatur pro tessera incorporationis. Non enim isto usu idolothytorum Corinthij restabantur, se antea socios aut participes factos fuisse dæmoniorum, verum eo ipso esu & usu idolothytorum reddebantur & fiebant socii & participes dæmoniorum, adeoque Diabolis incorporabantur, cum conscientiam maximo vulnere.

XLI. Ergo satis ex hoc etiam loco Paulino patet in verbis Cœnæ nullum relinqui locum figuris vel tropis, adeoque ad substantiam Cœnæ Dominicæ re ipsa & omninò duo accedere, nimirum 1. panem & vinum 2. corpus & sanguinem Jesu Christi, & quidem communionem corporis & sanguinis Christi contrahi ex manducatione & bibitione panis & vini in cœna.

B

3. Qua

1. *Qua & qualis sit unio panis & corporis, vini & sanguinis
Christi in cœna Domini.*

XLII. Porro, qualis sit partium illarum duarum Cœnæ Domini, ad constituendam ejusdem integritatem, unio, hoc in loco post ipsas partes, ex verbo DEI solidè assertas, videndum venit.

XLIII. Cum pane igitur in sacra Cœnâ præsens adest corpus Domini & cum vino est præsens sanguis Christi, per unionem, sic vocatam *Sacramentalem*, seu ut liceat sano sensu ita loqui, *testamentalem*, vel *foederalem*, vel *promissam*.

XLIV. Unio enim *Sacramentalis* illa, panis benedicti & corporis Christi, ut etiam calicis benedicti & sanguinis Christi, nihil est aliud, quàm hoc, quod quando panis & vinum in ipsa actione legitimè celebrata, dantur & accipiuntur, tunc *secundum institutionem, pactum, fœdus, testamentum, promissionem Christi*, verè simul sint præsentia, & in unum distribuuntur & accipiuntur corpus & sanguis Christi.

XLV. Hæc igitur unio *Sacramentalis* fundamentum habet, ipsa verba institutionis & ipsam veracissimam promissionem, apud tres Evangelistas & apud Paulum, *1. Cor, 11.*

XLVI. Porro etsi Christus promisit, & dixit expresse, se una cum pane corpus suum & una cum vino sanguinem suum verum & substantialem in Cœna distributurum: *tamen quomodo* is suum corpus cum sacro pane distribuat, & *quomodo* is suum sanguinem cum sacro calice, nobis bibendum distribuat, hoc non enunciavit, nec usquam manifestavit, Dominus & Magister noster, Christus.

XLVII. Itaque *primùm* pia mens in cœna panem & corpus, vinum & sanguinem agnoscat esse unum quiddam *Sacramentum*, hoc est, panem & vinum agnoscat esse media, organa, & instrumenta *προσφερόμενα* quibus mediantibus juxta promissionem dentur & comedantur corpus & sanguis Christi ipse, scilicet tunc, quando media *προσφερόμενα* panis & vinum participantur.

XLVIII. Deinde verò, quando *piam mentem* profundius, exercet

exercet cogitatio *de modo*, tum eadem recurrat iterum ad verbum Dei, quod monstrabit, carnem Christi illis *ex unione cum omnipresente* λόγῳ ditatam esse divinis eminentiis, ut sese singulis ubique locorum communicantibus sistere facillimè possit, etsi nos Christi *rationem illam sistendi suum corpus & suum sanguinem infinitis participantibus* cogitando assequi, & intelligere & eloqui non possimus.

XLIX. Nisi corpus Christi cum λόγῳ omnipotente & omnipresente unitum esset, ἀδιαιρέτως, ἀδιαλύτως & ἀδιασάτως, plus, quam aliud verum & naturale corpus, præstare non valeret, nec nisi verè in uno loco, sese præsens exhibere posset. Jam verò propter unionem cum corpore suo, omnia, quæcunque vult, Christus, perficere & agere potest, quæcunque & quocunque modo eadem promissit.

L. Adeo Christi corpus nunc non naturaliter vel modo naturali simul in omnibus aut multis locis, ubi cœna Domini celebratur & administratur; præsens exhibetur; Sed modo supernaturali, qui dependet ex ratione unionis personalis & sessionis ad dextram Dei præsertim cum Dominus Jesus Christus ipse circa finem visibilis suæ conversationis in verbis institutionis Cœnæ Dominicæ hoc expressè & fideliter promiserit.

LI. Unionis igitur Sacramentalis mentione & re, *nequaquam* intelligimus hoc, quasi panis & corpus, Vinum & sanguis unum fiant naturâ, vel personâ, vel perpetuâ connexionione quapiam simili, *neque etiam* indigitamus & fingimus localem aliquam inclusionem, qua oporteret corpus Christi localiter adesse, & includi in pane, sicut stramen in sacco, cultrum in vagina, gladium in capulo, sicut aliàs quodvis contentum in suo continente.

LII. Etsi *localiter* quidem adest panis benedictus; tamen inde non sequitur, quod etiam propterea localiter adsit corpus CHRISTI in pane. Alio siquidem modo adest panis; aliter corpus CHRISTI. Corpus enim CHRISTI verè quidem adest, quia verba CHRISTI, quum dicit, *Accipi-*

B e

te, come-

te, comedite, hoc est corpus meum; Bibite, hic est sanguis meus, certè hoc expressè volunt; attamen adest cum pane, tanquam medio à Christo ipsomet instituto, non nisi modo supernaturali, cœlesti, & rationi humanæ incomprehensibili.

LIII. Quoniam etiam canimus: *Das wir nimmer des vergessen/
Gab er uns sein Leib zu essen/Verborgen im Brod so klein/Und zu trincken sein Blut im Wein/* id est, Ne illud oblivisceremur, dabit nobis corpus suum comedendum, *latens in pane tam parvulo*, & ad bibendum sanguinem in vino: *Tamen* nec illis verbis localem in pane corporis Christi inclusionem stabilire; sed tantummodo veram præsentiam corporis & sanguinis Christi cum sacris Symbolis indigitare volumus, & ut ea ulterius non extendantur, populum à pastoribus & ministris verbi doceri jubemus, nimirum ut sciat populus symbola sacra esse media & instrumenta, per quæ Christus nobis in sacra Cœna, quæ hic in terris, & non in cœlo administratur, corpus & sanguinem suum exhibet.

LIV. Quoniam item cum patribus, *ut cum Augustino, Cyrillo, Chrysostomo*, dicimus, dari & accipi corpus, *in, cum & sub* pane, vel sub specie panis; tamen nec dum ullam localem comminiscimur vel fabricamus inclusionem corporis in pane: sed earum particularum sensum hunc explanare jubemus, quòd certò cum pane detur & distribuatur corpus Christi. Quid quòd his phrasibus fabula de transubstantiatione panis, in corpus Christi simul capitur? Accedat autem Pastorum diligens interpretatio, ne vulgus impanationem seu incorporationem physicam & crassam imaginari occipiat.

L V. In hac enim actione exhibitio Corporis Christi non naturalis, sed supernaturalis est, Præsentia, inquam corporis Christi in cœna non est localis, sed sacramentalis, ergo etiam non requirit crassum corporalem situm ejus, adeoque nullum crassum localem vel naturalem vel corporalem contactum panis.

4. *Quæ sit Sacramentalis comestio & bibitio corporis & sanguinis Christi, in Cœna Domini?*

LVI, Porrò quia ex sacramentali *unione Sacramentalis manducatio & bibitio corporis & sanguinis Christi in sacra cœna* quam optime æstimari

mari potest, ideò hoc in loco statim de ea quoque agere placet. *Sacramentalis manducatio & bibitio illa nihil est aliud*, quam in actione cum sacro pane corpus Christi verè, sed super naturali modo præsens & sacramentaliter unitum vere & juxta tenorem ac litteram datæ promissionis, ut ea sonat, realiter edere & bibere.

L VII. *Sicut* autem unionis Sacramentalis, *ita quoque manducationis sacramentalis fundamentum* sunt apertissima verba institutionis, quum Christus jubet edere & bibere, & de illo quod fractum, jussit comedere, & quod ore comedunt Apostoli dicit, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus novi Testamenti.*

L VIII. Postquam autem hæc tria constant: 1. *Christum omniveracissimum & omnisapientissimum promississe* sui corporis & sui sanguinis in cœna præsentiam veram & substantialem. 2. *Christum per divinæ suæ omnipotentis operationem in ipso usu cœnæ*, qui consistit in manducando, & bibendo carnem & sanguinem suum singulis per infinita loca participaturis præsentissimum cum pane & vino in ora hominum *sistere posse, velle*; 3. Omninò quoties cœna administratur & distribuitur, secundum tenorem institutionis Christi, toties omnes communicantes dignos & indignos corporis Christi (omnibus & singulis illis, propter sacramentalē, teamentalem & fœderalem promissionem & per virtutem divinam & majestaticam, modoque cœlesti præsentissimi facti) comedendo & bibendo participes reddi. *IBI de modo hujus oralis sacramentalis manducationis & bibitionis corporis & sanguinis cum manducato pane & bibito vino sacro, iterum captivemus in obsequium verbi Dei rationis nostræ curiositatem.*

L IX. Sicut enim præsentis Carnis Christi ita quoque comestionis & bibitionis, ad litteram acceptæ & accipiendæ *modus est nostris sensibus imperscrutabilis, siquidem* Christi carnem & sanguinem oculi nostri corporei non vident, labia & lingua sensualiter non percipiunt nec gustant.

L X. *Mysterium enim est, & quidem summi amoris* Christi erga homines, quod ipse nobis suum corpus & sanguinem in actione, propter promissionem, divinâ virtute in ora sistit & ita in SEMETIPSO comedendum & bibendum largitur, non imaginario sed reali actu, attamen super naturali, cœlesti & in-

B 3

comprehen-

comprehensibili, aded ut universi communicantes Corpus & sanguinem verè accipiant, & tamen fruitione hac corpus & sanguis ille ab ipsis non comminuetur vel alteretur, sed integra salva incorrupta permaneant,

LXI. Cum enim suum (*inquit Chrysostomus Hom. 46. in Iohan.*) in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maximè est. *Hæc Chrysostomus.*

LXII. Elementa quidem consumuntur, corpus autem & sanguis Christi minimè. Hæc enim, *inquit Hilarius lib. 8. de Trinitate* accepta atque hausta efficient, ut nos in Christo & Christus in nobis sit. Et quomodo Christus per Patrem vivit; eodem modo nos per carnem ejus vivemus. *Hæc iste.*

LXIII. *Quemadmodum igitur in sacro Baptismate* externum corpus externis quidem aquis abluitur, nec tamen quicquam sentit vel intelligit, quid DEUS intrinsecus operetur, *quemadmodum etiam in concione auris externa,* externos quidem sonos percipit, nec tamen intelligit, quomodo peccata hominum à DEO remittantur: *Ita quoque* externum panem & vinum percipit, & comedit, ac bibit os; sed tamen minimè intelligit, vel sentit illud ipsum os; quidnam Sacramentaliter & integrè sibi exhibeatur à FILIO DEI, præternaturaliter, & quidnam percipiat vel comedat ac bibat.

LXIV. Iterum autem caveant sibi singuli, ne existiment Corpus CHRISTI ita naturali modo, ut alios cibos naturales, os intrare, alterari, &c. Quia modo supernaturali participatur. Ad cibos enim naturales, & naturali modo in ventriculum descendentes pertinet illud, quod Christus allegat *Matth. 15. 17. Omne quod in os intrat, in ventrem vadit.*

LXV. Explodimus omnem Capernaïticam manducationem & participationem carnis & sanguinis Christi, sicuti Capernaïta illam carnem, veluti aliam carnem ex macello entam & coctam, dentibus lacerandâ somniabant; imò, ut extat apud August.

tom. 39

Tom. 3. pag. 374. putabant DOMINUM aliquot particulas
de corpore suo secturum, & ipsis manducandas propositurum.

LXVI. Etsi igitur *substantialiter & corporaliter manducari &
participari carnem & sanguinem Christi*, Ecclesie nostrae & Patres
profitentur: tamen nihil aliud illis verbis docent, quam verè &
substantialiter adesse corpus Christi, sed tamen adesse & percipi
ore quidem, at modo supernaturali, cœlesti, incomprehensibili,
non comprehensibili, non terreno modo, non naturaliter & non
sensualiter.

LXVII. Atque sic ex hac unione non tantum modo de-
pendet Sacramentalis & oralis manducatio & bibitio carnis &
sanguinis CHRISTI, quoad dignos; Verum etiam quoad in-
dignos.

LXVIII. Apostolus Gentium 1. Cor. 11, 27. in specie ean-
dem doctrinam non obscure confirmat, quâdo inquit: *Quicumque
manducaverit* (τὸν ἄρτον τῆς βρῶσιν, ἢ τὸ ποτήριον τῆς ζωῆς) *panem HUNC*, (sci-
licet *de quo dixerat*, quod sit communicatio, *καὶ ζωὴ*, corporis
Christi) vel biberit poculum HOC Domini, (de quo iterum di-
xerat: quod sit communio ipsius sanguinis Christi,) indignè reus
erit corporis & sanguinis Domini.

LXIX. Id quod adhuc evidentius apparet, ex eâ, quam è vesti-
gio addit, ratione: illud scilicet propterea fieri, *quia non dijudi-
cent corpus Domini*, id quod per consuetudinem, scripturis usitatam
etiam ad sanguinem accommodari debet.

LXX. Non ait, ideò eum fieri reum corporis & sanguinis Do-
mini, *quia non dijudicet panem, sed quia non dijudicet corpus & sangui-
nem Domini*: Id quod dicere non potuisset, nisi illa verè cum pae-
ne & vino acciperentur ore, cui ori propter, promissionem & ex-
potentia Christi, modo nobis incognito sistuntur & ideo modo
quoque nobis incomprehensibili per os à nobis participan-
tur.

LXXI. Etsi

LXX. Etsi igitur communicantes non rectè credunt, vel non dignè sese præpararunt; tamen propterea nihil substantiæ Sacramenti decedit, ut non accipiant, juxta promissionem & potentiam divinam in Cœna Sacramentali unione conjuncta panem & corpus, vinum & sanguinem.

LXXI. Plurimum momenti, immò omne momentum salutaris, salutaris inquam, usus Cœnæ Dominicæ situm est, ut utentes habeant *veram fidem, qua seipsos probent* 1. Cor. 11, 28. hoc est, in vero timore Dei, & agnitione peccatorum accedant, & omnem fiduciam in Christo reponant, nihil dubitantes, se propter & per Christum reconciliari Patri æterno. Verùm ad substantiam Sacramenti, ad integritatem ejusdem, ad completionem illius divinæ promissionis, de exhibendo cum pane corpore Christi, fides nihil quicquam facit.

LXXII. Neque enim propter indignitatem nostram Deus suas ordinarias retractat promissiones, & operationes; Sicut nec solis cursum mutat Deus propter eos, qui ejus luce abutuntur; nec in primitiva Ecclesia dona linguarum & sanationum ac prophetias abolebat, licèt tum temporis plurimi impii illis abuterentur.

LXXIII. Neminem autem quicquam moveat, cum indigni corpus & sanguinem Christi verè & oraliter percipiant; quod tamen eo cibo & potu non vivificantur, sed judicantur, juxta Apostoli Canonem apertissimum, 1. Cor. 11, 29. *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

LXXIV. Fit enim hoc judicium *non per se*, quasi corpus Christi per se alicui esset perniciosum ex fatali quadam & Stoicâ prædestinatione vel reprobatione, quia ut loquitur Augustinus contra literas Periliani *lib. 7. ca. 40.* ex una re sancta Judas sumebat sibi judicium, Petrus salutem.

LXXV. Nisi indigni, juxta Apostoli gentium mentem, acciperent ipsam carnem & ipsum sanguinem Christi, tum omninò consequeretur, neque dignos & fideles eundem accipere. Ratio esset, quia de dignis & fidelibus ibidem subjicit hæc verba *vers. 28. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*

LXXVI. Ut

LXXVII. Ut hinc obtineas, dignos edere corpus & bibere sanguinem Christi, oportet te necessario subintelligere, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, scilicet de quo in capite 10. & 11. dictum fuit, quod in usu esset corpus Domini pro nobis traditum, & quod esset participatio corporis Domini.*

LXXVIII. Quapropter necessario concluditur, hæc omnia subintelligenda esse similiter in illis verbis, ubi ait Doctor Gentilius: *Quicumque manducaverit panem hunc indigne, scilicet, qui in usu est corpus Christi pro nobis traditum, & qui est communicatio corporis Christi.*

s. An prædicationes sacramentales sint propriae, vel figuratae, vel inusitatae.

LXXIX. Denique ex doctrina de materia & partibus Cœnæ, de partium unione Sacramentali, manducationeque Sacramentali tam respectu indignorum, quàm respectu dignorum exoritur alia adhuc consideratio, quæ est *de prædicationibus vel propositionibus Sacramentalibus*, in verbis institutionis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, vel quod idem est, Panis quem frangimus. Foculum cui benedicimus, nonne communio est, hoc est, Panis hic, Vinum hoc in actione Cœnæ est communio carnis & sanguinis Christi: Item cum aliqui sic loquuntur, Panis est corpus Christi & subintelligunt.* Hic qui in cœna distribuitur, &c.

LXXX. Sicut enim extra usum nulla est unio panis & corporis Christi, vini & sanguinis Christi, ita in usu Cœnæ vocabulum *HOC.* (*Hoc est corpus meum*) propter unionem sacramentalem seu promissam, & panem & corpus simul suo complexu continet. Queritur igitur, num prædicationes sacramentales sint usitatae an figuratae an inusitatae.

LXXXI. Quemadmodum verò partium in Cœna unio est vera, & tamen Sacramentalis, mystica, ineffabilis, cœlestisque, non naturalis, non artificiosa, id est, non arte hominum instituta, non terrena, neque tamen etiam schetica, vel solâ relatione constans, ita ut una pars esset alterius absentis & procul remotæ merum & purum signum vel indicium.

LXXXII. Ita quoque hæc propositiones vel prædicationes,
C vel

vel locutiones sacramentales, non sunt vel usitatae. vel figuratae: sed inusitatae. Id est, Qualis unio, talis praedicatio.

LXXIII. *Panis* non dicitur corpus Christi proprie & per se hoc est, proprietate essentiae vel substantiae, adeoque essentialiter vel naturaliter per factam transubstantiationem vel substantialiter, vel physice, vel regulariter: sed singulariter propter unionem sacramentalem, cum corpore Christi, quod in actione Coenae verissime & realissime adest, juxta institutionem Christi.

LXXXIV. Pii patres, ut *Augustinus, Chrysostomus, Gelasius, Theodoretus*, illas praedicationes contulerunt cum propositione de Christo *Deus homo factus est*, quia sicut in Christo duae naturae unitae sunt, personaliter & ἀδιαιρέτως: ita in Coena sacramentaliter panis & corpus conjunguntur, per divinam potentiam, propter promissionem Christi, & juxta modum caelestem; nobis incognitum; ita tamen, ut *haec copulatio in Coena, tantum in vero ejus usu duret.*

LXXXV. *Sicut ergo* modus praedicandi inusitatus in mysterio incarnationis rectissime statuitur, ideò quòd modus unionis personalis duarum naturarum in Christo sit inusitatus, incomprehensibilisq;: *Ita quoque* in mysterio Coenae Dominicae sacramentalis praedicandi modus itidē inusitatus rectissime dicitur, siquidem modus unionis sacramentalis panis & corporis, vini & sanguinis in usurationi humanae prorsus est incomprehensibilis & ignotus. Et hinc utraque praedicationes, tam in mysterio incarnationis, quam in mysterio epuli Dominici, *Aristoteli & Porphyrio & toti Philosophorum scholae* fuerunt & sunt ignotae.

LXXXV. Etsi verò vocabula panis & vinum, corpus & sanguis in suis propriissimis significationibus capiuntur in hoc negotio; Tamen praedicatio non est propria propter impropriam, hoc est mysticam, & caelestem vel sacramentalem unionem. Nam secundum rationem, unionis, unitum unum ita inusitate fit alterius, & ita praedicatur unum de altero inusitate.

LXXXVIII. Extra unionem sacramentalem haec disparata panis & corpus, ut etiam alia disparata, de se invicem praedicari nequeunt: at in unione, quum uniuntur & conjunguntur, & unum fiunt, istius unitatis ratione de se invicem praedicari possunt: sicut in unione personali *Deus & Homo* etiā de se invicem praedicantur; extra unionem verò de se invicem nequaquam praedicari possunt.

sent: Sicut etiam *Columba & Spiritus S.* pro sua suæ unionis ratione de se invicem dici possunt.

LXXXVIII. Porro quanquam in veteri Fœdere etiam sunt prædicationes Sacramentales, ut secundum communem allegationem *Agnus est pascha Exod. 12. 11. Circumcisio est fœdus*; tamen ad illarum modulum non possunt hæ prædicationes in cœna declarari. *Ratio est*, quia uniuscujusq; Sacramenti institutio debet præbere uniuscujusq; phraseon seu locutionum declarationem: nec omnia Sacramenta æstimari possunt ex uno.

LXXXIX. Deinde Metonymia signi & rei signatæ adeoque verbalis, nuda *ἡσίσ* vel *ἀνιδόσις* & *ἀλλόωσις ὀνομάτων*, in his prædicationibus locum habere nequit, quia panis accipiat nomen corporis Christi & sit *ἕνδεξις* adeoque *μνημόσυρον* tam procul absentis & à terra, distantis corporis Christi, quantum procul abest ab infima terra, omnium cœlorum, qui sunt & qui fingi queunt, ultimum.

XC. Si enim figura talis vel potius tropus & imprimis metonymia signi & signati admittitur, tum funditus cadit hoc, quod in Cœna sit panis & corpus Vinum, & sanguis, & quidem Sacramentaliter unita, id quod tamen hûc usque ex priori ad Cor. 10, imprimis tam solidè fuit assertum, ut omninò nequeat convelli.

XCI. Cùm igitur cum pane, tanquam organo, instrumento vel medio adsit, detur & accipiatur corpus, & cum vino sanguis Christi, ita, ut quando Christus dicit, *Hoc est corpus meum*, per vocem *Hoc panem* & corpus sacramentaliter unita fuerit complexus, necessariò & sua sponte collabi & evanescere figuram seu tropum, & imprimis Metonymiam oportet.

XCII. Metonymiam enim signi & rei signatæ eam oporteret intelligi, ubi signo saltem accommodaretur & tribueretur nomen rei signatæ, & quidem ita, ut signum non simul complecteretur rem signatam ipsam præsentem, verùm solummodò nudam ejusmodi indicationem, vel significationem: Sic, ut panis esset (Sacramentale) signum, vel figura, vel typus, vel indicium, vel externum symbolum corporis Christi absentis, olim pro nobis traditi, &c. Id quod, ut dictum est, maximoperè pugnat cum verbis institutionis.

6. *Quæ possit appellari forma seu differentia specifica Cœna Domini.* C 2 *Forma*

XCVIII. *Forma* Cœnæ Dominicæ in hoc consistit, quod in ipsa actione, secundum Christi ordinationem instituta & celebrata, cum pane verum corpus Christi, cum vino verus sanguis Christi; modo tamen sacramentali unitus, ad manducandum & bibendum, re ipsa exhibetur, porrigitur, adeoque à singulis communicantibus oraliter, sed modo imperscrutabili, manducatur & bibitur.

XCVI. Nullius autem hominis dicto, gestu, vel facto alio; sed solius Christi verbis, quæ institutionis verba sunt, efficitur, ut corpus in Cœna ipsius præsens sit, exhibeatur, & percipiatur cum pane per os hominum.

XCV. Verborum illorum Christi recitatio, est verissima, consecratio, & ut Apostolus vocat, benedictio. ubi panis & vinum destinantur ad singularem usum & esum sacramentalem, simulque Deus rogatur, ut nos dignos convivas suæ mensæ efficiat.

XCVI. Extra usum autem illum nulla est panis & corporis unio, & manducatio sacramentalis: incipiente enim usu & esu incipit, desinente usu & esu desinit ipsa unio & manducatio sacramentalis panis & corporis, vini & sanguinis.

XCVII. Verba igitur Christi non tantum in prima Cœnæ actione efficacia fuerunt; sed etiamnum efficacissima vigent, & illud efficiunt præstantque, quod pollicentur, ubicunque secundum institutionem Christi, sacra Cœna legitime & ritè celebratur & administratur.

XCVIII. Huc pertinet illud Chrysostomi? *Et nunc ille presbiter est Christus. qui illam ornavit mensam, ipse ipsam quoque consecrat: Sacerdotis ore verba proferuntur: & Dei virtute operantur, & gratia. Hæc ille.*

7. *Qui sint fines instituta Cœna.*

XCVI. *Finis* institutæ Cœnæ Dominicæ primus & principalis est, ut hæc communio corporis & sanguinis Christi UNICUIQUE nostrum sit divinum testimonium amplissimum, adeoque pignus & obsignatio, quod ardentissime siciat Christus *uniuscuiusque nostrum.*

nostram salutem, & uniuscujusq; nostrum curam & sollicitudinem summam maximamque gerat.

C. Ne enim immensum illud beneficium, quod morte sua Patris iram nobis placavit sanguinemque suum ad delenda peccata nostra effudit, nobis periret, hoc pignore singulis applicato, testari vult *singulis*, se pro *singulis* mortuum esse, & cupere, ut singuli fiant meriti & satisfactionis suæ, adeoque cum Carne & sanguine aliorum omnium beneficiorum suorum, quæ sua morte impetravit, participes.

CI. Nec dubitandi locus relinqui potest ulli hominum de clementissima Dei Patris erga se voluntate quod nimirum Pater *uniuscujusq; hominis* causa Filium suum dederit in mortem, & quod *unumquemque* in gratiam velit recipere propter obedientiam Filii sui, & quod unumquemque velit justificare, hoc est, justum pronunciare, cum in sacrosancta Cæna ipso corpore Jesu Christi, Filii sese cibari & ipso sanguine ejusdem sese potari intelligat.

CII. Finis iste exponitur in illis verbis Luc. 23, 44. quum inquit: Edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hoc est, ideo instituta est Cæna, ut isto pignore testetur, **UNICUIQUE** Christus, se mortem *uniuscujusq; nostri* causa subiisse & ut alar, confirmet, & obsignet *uniuscujusq; nostrum* fidem Spiritu suo sancto, ut sit in *unoquoque nostrum* efficax, applicet *unicuique* beneficia sui regni, habitet, & operetur in *unoquoque salutem*.

CIII. Quod igitur Paulus de Circumcisione dicit, Rom. 4. 11. quod sit *sigillum justitiæ fidei*, illud multo magis de manducato corpore & de bibito sanguine Jesu Christi quoad usum, quoad usum inquam, statuendum erit, quod sit sigillum & obsignatio justitiæ fidei, scilicet *unicuique nostrum*.

CIV. In verbo omni Evangelico, Deus, propter meritum & satisfactionem Filii sui nobis *omnibus & singulis* offert remissionem peccatorum, imputationem justitiæ Christi, donationem Spiritus sancti, & hæreditatem vitæ æternæ.

CV. Sed quia adeo stupida & timida sunt pectora nostra in apprehendendis promissionibus Evangelicis, & in capiendis tantis bonis, ideo ea hoc pignore, corpore scilicet & sanguine Christi, erigere, ad fidem excitare & consolationem vitæ ejusdem & quidem **SINQULIS** obsignare voluit. C 3 Sicut

CVI. Sicut etiam Spiritus sanctus, qui effunditur in corda nostra, per verbum prædicatum & auditum, est 2. Cor. 1, 22. 45. 5. arrhabo obsignans promissionem, de æterna consuetudine cum Deo, ita corpus & sanguis Christi in Cæna Dominica exhibita sunt unicuiq, arrhabo redemptionis nostræ & reconciliationis cum Deo. Quod etiam Petrus de baptismo dixit, quod sit *ἐπεσφραγισμός* seu stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo, scilicet unicuiq, 1. Pet. 3. 21. siquidem in Baptismo DEUS init nobiscum, cum *singulis* seu unoquoq, nostrum fœdus & quasi stipulata manu unicuiq, nostrum promittit quod lauet unumquemque per sanguinem Filii sui à peccatis suis, ideoque condonet nobis *singulis*, omnia peccata, recipiat nos singulos in gratiam, velit esse noster Deus constituatque nos singulos hæredes vitæ æternæ, illud bono jure de Cæna Domini itidem perhiberi potest, quòd Cæna Domini sit unicuique *ἐπεσφραγισμός* quoddam seu stipulatio quædam bonæ conscientiæ, & reconciliationis, factæ cum Deo.

CVII. Cum enim exhibeat & verè participandum distribu- at unicuique Deus corpus Filii sui manducandum & sanguinem suum bibendum, utique eo ipso, quasi stipulata manu promittit, se propter Filii sui meritoriam satisfactionem rediisse cum unoquolibet in gratiam, condonasse omnia peccata, velle nos agnoscere pro filiis, & effundere in pectora nostra Spiritum sanctum, & jam nobis obsignare hæreditatem regni cælorum.

CVIII. Omnino igitur singularis hic est usus Cænae Dominicæ, quòd generalem promissionem Evangelicam, & omnia beneficia Mediatoris *singulis* distribuit & applicat, hacq; ratione singulas pias mentes ab omni tentatione & dubitatione liberat.

CIX. Etsi quilibet non potest non agnoscere, & profiteri, longè dulcissimas esse, & maximè amplissimas voces & promissiones illas in Evangelio: Ecce, agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, Ioh. 1, 29. 36. Sic Deus dilexit mundum, Ioh. 3. 16. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos Matth. 11, 28. Tamen quia in Cæna Domini sic agitur cum unoquolibet, quemadmodum cum paralytico Christus, dum ait: Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua, Matth. 9, 2. utique jam prorsus maximum imbecillitati nostræ subsidium est paratum.

CX. Finis alter principalis institutæ Cænae Dominicæ est, ut ea sit subinde renovata occasio unicuiq, confessionis, gratiarum
rum

rum actionis, invocationis & annunciationis mortis Jesu Christi publicæ & privatæ.

CXI. Necessarium enim est, ut Christiani non tantum credant in Christum, qui pro nobis omnibus Patri suo satisfecit; verum etiam ut tantum benefactorem publicè prædicent; honoris & gratitudinis causa, & quò plurimos alios invitent ad eandem fidem & gratitudinem erga mortem & passionem ipsius.

CXII. Quòd autem horum officiorum memoriam nobis refricet & simul in Ecclesia occasionem & ansam præbeat, repetendi doctrinam de Passione & resurrectione Christi Cœnæ ipsius ex eo Pauli Apostoli, satis constat, quum inquit, *1. Cor. 11, 29: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

CXIII. Et ex hoc fine Cœna suo quodam modo potest dici *externa nota & tessera*, monstrans & discernens Ecclesiam Jesu Christi, mortui pro nobis, ab omnibus aliis cœtibus: siquidem usurpatione Cœnæ Dominicæ, publicè profiteamur, nos adhærere & credere Christo, & discedere ab omnibus aliis Jesum Christum contumelia afficientibus, eumque non agnoscentibus pro Redemptore: Sicut olim usu & esu agni Paschalis Israelitæ se se distinguebant ab aliis profanis hominibus, non agnoscentibus verum Deum, qui se se patefecerat in nece primogenitorum Ægypti, & in educatione populi sui ex Ægypto.

CXIV. Ex hoc eodem fine Cœna Domini est *nervus publicorum congressuum* in Ecclesia. Vult enim Deus ut publicè prædicetur & annuncietur nomen ipsius, & ut ad tales actiones singuli accedant, sicut Paulus etiam de Cœna loquitur: *Cõvenientibus vobis. Item: Quoties convenitis, vos invicem expectate, 1. Cor. 11, 20. 33.*

CXV. Ex hoc denique fine dependet illud quoque, quòd hæc Cœna admonet nos singulos de mutui amoris & fraternæ dilectionis vinculo. Quum enim de uno pane in unâ mensa participamus, & ex eodem poculo in unâ & eadem mensa bibimus, ad eoque omnes unius & ejusdem corporis Christi participes realiter mentaliterque, ut loqui nos docet Apostolus *1. Cor. 10. 22, reddimur, utique nos inter nos etiam fœdus inimus, & testamur, nos unius corporis membra esse, & ab eodem Spiritu foveri debere, adjuvandum proximum: quibusque rationibus fieri possit & juxta verbum Dei fieri debeat.* s. Qua

8. *Quæ sint effecta Cœnæ Dominicæ.*

CXVI. *Effectum* ex Cœnæ Dominicæ iusu, adeoque ex vera & orali participatione panis & corporis, vini & sanguinis Christi *aliud* resultat ad dignè utentes; *aliud* verò ad indignè accedentes: Ubi sciendum est, *dignos* vocari vere credentes, & de fide sua vera (licet quandoque infirmâ) seipsos probantes; *indignos* verò planè incredulos, impœnitentes, & hypocritas,

CXVII. Digni, hoc est, verè credentes, & seipsos probantes, qui carnis imbecillitatem deplorant; & tamen ad summi beneficii hujus amplitudinem confugiunt, humili obedientia, veraque fide, seriâ conversione, cum serio proposito emendandi vitam, simul remissionem peccatorum, & omnia, quæ per traditionem corporis & effusionem sanguinis sui Christus acquisivit, consequuntur: inseruntur corpori Christi, & cum illo firmiter uniuntur, ut cum ipso una caro, & unum os sint, & ut Christus in ipsis, & ipsi in Christo sint & maneat, Atque hoc pacto in ipsis Christus semper est efficax & vivificus, eos consolans, reficiens, confortans & sustentans in omnibus periculis & tentationibus animæ & corporis, ita ut nihil eos possit à Christo Jesu in vita & in morte, neque Christum Jesum ab ipsis separare. *Rom. 8.*

CXVIII. Hinc rectè Irenæus *lib. 4. cap. 34.* contr. Valent. colligit, *Corpora nostra resurrectura ad immortalitatem, quia corpus & sanguinem Christi ore, & fide participarunt.* Quemadmodum enim (inquit) qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti, sic & corpora nostra, percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia: *Hactenus iste.*

CXIX. *Et Cyrillus in Iob. lib. 10, cap. 13.* Communicatione corporis & sanguinis Christus ipse in nobis, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei constringeretur. *Hæc ille.*

CXX. Et hæc appellatur *spiritualis manducatio* usitatè, quando quis toto corde credit, se per traditionem corporis & effusionem

nem

nem sanguinis Christi certò habere remissionem peccatorum, vitam, & salutem: & se per hanc manducationem corporis & sanguinis Christi magis magisque Christo uniri & cum ipso in unum corpus coalescere, hæcquæ omnia fide verâ sibi quotidie & firmiter applicat.

CXXIX. Ad vitam igitur & ad salutem corpus Christi non nisi sola fide percipi potest: & hæc spiritualis manducatio non tantum in Cœna, ubi sacramentalis ei inservit, sed etiam in verbo; nec tantum in verbo, sed etiam in Cœna, ubi ut dictum est, sacramentalis ei maximopere inservit, fieri potest, & per totam vitam quotidie & semper est plus quàm necessaria (licet non singulis horis aut momentis sacram cœnam percipimus) ut à Christo luculenter declaratur, *Ioh. 6.*

CXXXI. Ubi hæc spiritualis manducatio adest, quæ usum, nucleum & fructum sacramentalis manducationis conservat & præstat, ibi prodest sacramentalis manducatio: Ubi autem fides non accedit, & ubi spiritualis illa manducatio abest, ibi quoque sacramentalis manducatio nihil prodest.

CXXXII. Econtrariò, *indignis*, quia Mediatorem verâ fide non apprehendunt, nec fiduciam in eo ponunt, non agnoscunt peccata sua, non dolent propter ea, multò minus concipiunt serium propositum seriæ & veræ conversionis & emendationis vitæ; verum quidem corpus & verum sanguinem cum pane & vino realiter & oraliter participant, sed non fiunt participes remissionis peccatorum, vivificationis Christi & Spiritus sancti, immò corpus & sanguinem Christi accipiunt sibi ad iudicium, ut expresse docet Apostolus *1. Cor. 11, 27.*

CXXXIII. Etenim quia non solum potestatem vivificandi sed etiam potestatem iudicandi habet Christus, secundum carnem suam *Ioh. 5, 27.* ideo quales sunt illi, qui carnem Christi accipiunt, talem etiam sese illis exhibet ipsa caro Christi percepta. Si fideles sunt, caro percepta fidem ipsorum auget & ipsos in fide Christo firmiter insertos confortat & conservat; si increduli sunt, ipsos iudicat.

CXXXIV. Atque hoc pacto caro Christi distinctam habet & exercet operationem, pro distincta conditione illarum personarum, quæ ad sacram illam Cœnam accedunt,

D

CXXXV. Quàm

CXXV. Quam accuratissime igitur inter substantiam & inter salutarem usum Cœnæ Dominicæ distinguendum est. Indignitas incredulorum non mutat substantiam Cœnæ; sicut sol non mutatur propter eos, qui adversus solem oculos claudunt. Non enim per se, sed propter incredulitatem indignis caro fit materia mortis & condemnationis, hoc est, excitatur, ut indignè urentem dijudicet.

CXXVI. Et, ut omnia fiant planiora, impii & infideles accipiunt integrum Sacramentum, hoc est, 1. externa symbola: & 2. eam iis corpus & sanguinem, quæ duo conjuncta dicuntur Sacramentum; dicuntur etiam res sacramenti.

CXXVII. Ex hoc tanquam *corollarium*, sequitur, tantummodo illos ad factam Cœnam vocandos & admittendos esse, qui possunt seipso probare, discernere inter corpus Christi & inter alios cibos, qui in communi cœtu possunt annunciare mortem Domini. Ubi excluduntur pagani, furiosi, infantes & in manifestis notorijque sceleribus contumaciter perseverantes & contumaces omnes admonitionum aliquoties repetitos gradus.

CXXVIII. Conclusionis loco observetur illud Chryso-
mi 1. Tim. 1. Hom. 5. *Non est audacia, sæpius accedere, ad Domini-
nam mensam; sed indignè accedere, etiam si semel tantum
quispiam in toto vitæ tempore accedat.* Hæc ille.

DEO SOLI GLORIA.



In

ah

In Sacramentariis

A D

HENRICUM DECI-
MATOREM, IUVENEM
doctissimum.

Verba D. Brentii paululum
transposita.



Non hic res agitur, Calvine, Sophisti-
ca; verum

Mystica: vos procul ite mali, qui
mentis ineptos

Fingitis excessus & monstra evanida, glossas.

Tanta fuit Domini solertia, tanta potestas,
Ut, sibi perspectam, rationem invenerit, omni
Tempore quâ cælo & terræ intimus extimus esset.

Quâ tota & partes passim irrequieta per omnes
Corporis exiguo, divina particula aure,


Condita folliculo, se prodere posset, & ipsis
Non tantum virtute, sed & substantiâ inesse.


Quin &, quâ minimo in grano validissima quer-
Cælo mista comas, ingentemq; aëra laxans (cus,
Contineatur; an hæc, ô acute Sophista, videntur
Mira


Mira tibi? Et meritò miraris tanta! Quid ergo
Impediat Christum, Patris immemorabile verbū,
Ne proprium corpus nobis cum fragmine panis
Præbeat, Et proprio cum sanguine pocula vini.

O rerum miracula! quid hîc rationis acumen
Arguat? digito præstat cohibere labellum,
Quàm malè contortis futire aliena meandris.
Dicetiam: quisnam rationem invenerit istam,
Possit ut orbiculus comprehendere parvus ocelli
Cunctarum species rerum, Et, per longa remota
Intervalla, sibi præsentia sistere? nonne,
Solutus adinvenit rationem hanc Iova? Quid ergo
Addubitas Christum vero nos corpore, vero
Sanguine posse sua convivæ pascere cœnæ?
Desine, mancipium sensus, ô acute Sophille,
Conspurcare Dei cœnam rationis ineptæ
Cæno, absint glossæ cerebelli in fornice natæ,
Ne jugi scenâ celsò priveris olympo.

M. Henric-Julius Strubius VVol-
ferbyt. P. C.







00 A 6341

ULB Halle
002 919 516


3



W 07

Reise ✓







33

ag

Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO XI.

Quae est prior

DE COENA DOMINI,

PRO

AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

ARTICULO DECIMO,

Quae

In Collegio Disputationum Theologi-
carum privato

*Ad diem 4. Martij A.C. 1609. VVitte-
bergæ habebitur*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO,

SS. Theol. D. & Profefs. P.

Respondente

HENRICO DECIMATORE, *Magdabur.S.*

VVITEBERGÆ

Typis Iohannis Gormani.

Anno 1609.

